

Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex isdem seminibus ortum
 [esse], eodem frui caelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori ! Tam tu illum
 videre ingenuum potes quam ille te servum. Variana clade¹, multos
 splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna
 5 depressit : alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit. Contemne nunc
 ejus fortunae hominem in quam transire dum contemnis potes ! Nolo in ingentem
 me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi,
 crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est :
 sic cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velis vivere. Quotiens
 10 in mentem venerit quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantumdem in
 te domino tuo licere. “At ego, inquis, nullum habeo dominum”. Bona aetas est :
 forsitan habebis. Nescis qua aetate Hecuba² servire coeperit, qua Croesus³, qua
 Darei mater⁴, qua Platon⁵, qua Diogenes⁶? Vive cum servo clementer, comiter
 quoque, et in sermonem illum admitte et in consilium et in convictum [...]

15 “Servus est”. - Sed fortasse liber animo. - “Servus est”. - Hoc illi nocebit ?
 Ostende quis non sit : alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, omnes
 spei, omnes timori. Dabo consularem ancillulae servientem, dabo ancillulae
 divitem, ostendam nobilissimos juvenes mancipia pantomimorum : nulla servitus
 turpior est quam voluntaria. Quare non est quod fastidiosi isti te deterreant
 20 quominus servis tuis hilarem te praestes et non superbe superiorem : colant
 potius te quam timeant.

1 Allusion à la défaite de Quintilius Varus, dont les légions romaines furent massacrées ou réduites en esclavage par les Germains en 9 apr.JC.

2 Hécube, femme de Priam, réduite en esclavage lors de la prise de Troie.

3 Crésus, dernier roi de Lydie, vaincu et exécuté par Cyrus, roi de Perse, en 546 av.JC.

4 La mère de Darius, roi des Perses, vaincu par Alexandre en 330 av.JC.

5 Platon le philosophe, vendu comme esclave par Denys le Tyran (ou par des pirates, sur le chemin du retour) avant d'être libéré.

6 Diogène le cynique, pris et vendu par les pirates.